



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Vita Venerabilis Yolandae Priorissae Ad Mariae Vallem in Ducatu Luciliburgensi**

**Wiltheim, Alexandre**

**Antuerpiae, 1674**

Cap. XVIII. Festo die Sanctorum omnium in concilio pronuntiatur sententia pro Yolanda. Sed pater eius sub mortis minis se opponit. Amicis novam nuptam Friderici visitantibus, Yolanda cogitur ...

**urn:nbn:de:hbz:466:1-11873**



## CAPUT XVIII.

*Festo die Sanctorum omnium in concilio pronuntiatur sententia pro Yolanda. Sed pater eius sub mortis minis se opponit. Amicis novam nuptam Friderici visitantibus, Yolanda cogitur tripudiare. Pater longâ oratione eam adorsus & victus, in gravem mœrorem incidit. Nova nupta Yolandam ridet.*

**P**osterâ luce benè manè convenerunt Vienne nam plurimi optimates, celebraturi de more cum Henrico atque Margaritâ sacras ferias. Qui in his eminebant, aulam palatij introgrediuntur, omnes Henrico grati acceptissimique hospites. Unum Waltherum nec videre oculis, nec animo ferre poterat; ut latendum ei fuerit, fugiendusque Henrici conspectus. Iam dies Sanctis omnibus sacer advenerat. Margarita, dolens Waltherum, velut reiectum atque repulsum, à cæterorum consortio prohiberi, unius odio mariti; eum rogat, ut iræ tantisper immemor Waltherum in convivarum numero mensæ adhiberi patiatur. Ille resistere, nec posse se, nec velle coram cernere filia suæ raptorem. Insistere Margarita, attenderet, ne diem tam sacrum atque sanctum odio & indignatione contaminaret. Tandem Henricus: Quando,



do, inquit, tantum est vestrum hominis mihi in-  
visi desiderium, vos eo fruimini. Itaque Marga-  
rita Waltherum cum socio invitat ad mensam.  
Quâ remotâ, initum de rebus Yolandæ confi-  
lium. Consedere selectissimi & sapientissimi qui-  
que, iussis etiam adesse Prædicatoribus & Yolan-  
dâ. Deliberationis summa erat, quo pacto ter-  
minus daretur diuturno de Yolandâ certamini.  
Variavere sententiæ. Erat, qui sententiæ preces  
intermisceret, rogans, ut vel serò Yolandam vi-  
ro locarent. Sed opposita mox huic contraria  
sententia. Optimus quisque in id conveniebat, ut  
Yolanda in causâ suâ non penderet ex alieno ar-  
bitrio. Diceret ipsa per se, quid censeret? Illa in-  
cœtu confidens, iteravit paucis toties à se dicta,  
contestataque; abdicasse se res caducas: devovisse  
Deo se, vitamque suam. Se voto suo staturam,  
utcunque cœptis succedat. His auditis, haud fa-  
cilè itum in sententiam. Tandem tamen in id  
consensere omnes, longè satiùs esse Yolandam  
cœnobio suo volentem permittere, quàm invitam  
coactamque ab eo avertere. Probavit continuò  
sententiam Margarita. Rogant deindè omnes  
Henricum, probaret & ipse sententiam. Is, vir  
alioqui haud pronus ad iram, repentè vehemen-  
ter excanduit, & Quisquis, inquit, hoc à me po-  
scit, procul eiectus esto gratiâ ac favore meo.  
Ego, ut filiam meam abduci à me patiar? Quis-  
quis hoc attentaverit, videat, profectò, ne ca-  
pitè luat audaciam. Has coniugis irati minas  
Mar-



Margarita silentio, callida mulier, excepit, ne repugnando commoveret magis irritatum eius animum. Atque ita solutus est conventus.

Yolandam porrò eæ patris minæ ita conturbaverunt, ut primò vim magnam lacrymarum ei excusserint, deindè etiam lecto affixerint, ex animi ægritudine labefactatâ corporis voletudine. At Waltherus cum cerneret exosum se invisumque Comiti, Viennâ discessit, solatus antè Yolandam, iussamque in Deo collocare spem omnem suam. Ipsa, ut primùm valetudo redijt, aliam orsa vivere vitam, vitavit imposterum hominum frequentiam, sola fere residens in cubiculo. Iocorum, cantilenarum, saltationum, ne quidem recordari. Si quando prodeundum ad salutandum hospites, post breve officium, mox redire in conclave. Ibi per omnia pro Sanctimoniali se gerere: divinos psalmos atque hymnos statis horis recitare: silentium perpetuò servare. Si quando colloquendum, sermo erat brevis, & circumspectus, ac moratus, ut nihil esset, quod reprehenderes. Facta perinde, ut verba, inculcata & plena disciplinæ. In his omnibus favor matris aderat. Quin adeò in tantùm obsecundabat his filiæ studijs, ut excubitorem, qui in arcis specula vigilabat, oraverit, ut Yolandam antè lucem excitaret. Illa ergò consurgens è lecto, Psalmos Davidis recitabat, & quò tegeter pium sola morem, mox iterum tantisper decumbebat. Et quanquam periucundum ei erat ita vivere, corrumpebat



rumpebat tamen id gaudium perpetuus mœror, quod procul à suo cœnobio, tanquam exul, agitarer.

Non multo tempore post hæc, venêre visum novam nuptam [Friderici] plurimi proceres, præsertim è juventute. Margarita, quamvis placatam Yolandæ, voluit eam cohonestare officium hospitalitatis, & cultum corporis tantisper resumere. Et parendum fuit Yolandæ maternis imperijs. Excepti hospites pari humanitate, quâ magnificentiâ. Epulatum lautè atque iucundè. Epulas secuti cantus & choreæ; quo & invitata magnoperè Yolanda, nullis precibus ad saltandum induci potuit, donec tandem ipse parens adfuit, precibus maximis orans, ut vel ad breve momentum choreas cum ceteris duceret. Dare se ei fidem & sanctè polliceri, si in hâc re morem sibi gerat, fore, ut & ipse voluntatibus eius obsecundet, atque ad suum cœnobiûm reverti patiatur. Hæc ubi ita pollicitus est, manu eamprehendit. Mox advolat nobilis aliquis adolescens, & cum Henrico ad chorum eam deducit. Vix orbem unum incessu potiùs, quam saltu, confecerat, cum exorto ubere fletu è ducentium manibus se explicuit, moxque derelicto cœtu abiit. Hic repentè pro gaudiò successit omnium mœror. Antè alios Henricus, magno ex tali discessu filix concepto dolore, eam secutus, amarè copioseque flentem reperit. Hic ipse quoque flens, quidquid suadebat hinc mœror, hinc pater-

nus



nus amor, in orationem contulit. Querebatur, cur se deserendo, mortem patris acceleraret? Neque enim alio telo certiùs vitam sibi posse adimi, quam eius absentiam. Quod viveret atque spiraret, eius amore fieri. Caros sibi quidem esse ceteros liberos suos, sed ipsam se deperire. Redderet ergò tanto amori vicem. Aut si redamare pigeret, saltem miseretur infaustum patrem, nec fugam interimeret, quem remanendo beatissimum posset efficere. Multo Yolandæ fletu accepta hæc patris, identidem inter verba lacrymantis, oratio. Nec tamen flexus eius animus de sententiâ quidquam remisit, sed modestè, quantum sinebant lacrymæ, parentem obtestatur: meminisset, mortales se creasse liberos, nec amore ullo placari posse fata, quin omnes tandem eripiant. Et se quoque in hoc esse numero, quin & ipsum patrem. Ingens quidem esse vinculum, amorem parentis atque liberorum; id se neutiquam diffiteri. Sed morte rumpi tandem atque dissolvi hunc nexum, etsi mille annorum spatio coalitum ac firmatum. Hanc esse conditionem humanæ vitæ, & miserabilem, sanè, & fugiendam omnium virium copiâ, aspirandumque ad vitam immortalem. Eam autem, donum esse cœlestis, & tribui Deum amantibus. Videret ergò, ne retardando pia filia vota, parum se gereret pro amatore Numinis. Se quidem magnoperè vereri, ne eâ re noxam non levem in se conferat. Et hoc metu longè cruciari se magis, quàm commiseratione

tione



tionem mœroris & lacrymarum eius ; quanquam & hæc vehementer animum suum convulnerent. Sed ignosceret sibi, si post haberet hæc omnia æternæ Dei amicitia. Hanc ambire se, hanc prosequi, etiam voto concepto ; nec prosequi desitiram quidquid irarum in se desæviant, quidquid etiam terreant mortis minæ. Ea Yolandæ dicta, ita sauciavere pectus patris, ut non modo omne ei gaudium, sed etiam valetudinem in reliquum vitæ tempus eripuerint.

Aliud deinde successit Yolandæ cum sororiâ recens nuptâ bellum. Hæc assueta delicijs & corporis lenocinijs, non ferebat Yolandæ illam vitæ severitatem, fugam humani consortij, preces assiduas, ieiunia, vigilijs, & ex his secutum in vultu pallorem atque maciem, liventibus ipsis adeo oculis. Hæc taliaque, ubi datur locus, sine fine culpabat, risu intermixto atque cavillis. Nec latuit Yolandam sororiæ infestus sibi animus. Acerbum id illi, sed ferendum fuit. Omne eius solatium in precibus. Has, interim dum cæterum muliebri contubernium perpetuâ lætitiâ atque gaudio perstreperet, sola in cubiculo suppliciter Deo offerebat. Id unum autem orabat, ut hisce laqueis se quam citissimè eriperet. Nec in irritum fusæ preces, ut nunc exequar.